QUAEDAM DE CHRONICO MORBO IN ACUTUM CONVERSO AC...

Napoleone Martelli



QUAEDAM
DE CHRONICO MORBO
IN ACUTUM CONVERSO AC SANATO
IN AEGRA
IN SCHOLA CLINICA CURATA

PRO

INAUGURALI DISSERTATIONE

AD LAUREAM MEDICINAE

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

DIE X. FEBRUARII ANNI MDCCCXXXIII

PUBLICE PROLATA

A

NAPOLEONE MARTELLI

DE PAPIOLIS CANARI

PROVINCIAE POLICINENSIS



PATAVII

TYPIS VALENTINI CRESCINII

1833



FRATRES CARISSIMI DESIDERATISSIMI

Haec inter omnes honestissima dies, qua ut rite summos Laureae honores obtineam, juris publici fieri oratiunculam statutum est, optatissima dies vix potest sensus quibus animus perbelle fruitur, edicere. Attamen ii quibus afficior prae caeteris, nequeunt commotionis latebris condi. Gratos itaque motus animi ac laetabundos, Vos una, Mei, accipite, quibus huncce libellum dicari volui et gaudeo. Sic omnibus quibus debeo, rem penitus persolvere videor.

Vivite felices.

Auctor



Quamvis omnes, Amplissimi Viri, Auditores humanissimi, hanc diem assequentes festissimam laeto animo atque securo Vestram sibi promittant ferre praesentiam, sapientiam celebrare, gravitatem lenire, reddere gratiam, inter ea quae pro forma et officio sunt disserenda, atque egometipse id mihi pollicitus toties fuerim, quoties metam auguratus laborum in eo ut attigerim esse videbar; attamen modo fateor, neque pudet, animos pene decidere nihilque prorsus me aptum esse proferre, nisiquod humanitatis ergo dumtaxat benevolentiaeque Vestrum. Accedit etiam quod in tanta rerum ad nos spectantium copia et claritate, quam tot saecula desiderarunt quamque magis magisque augere posteris forsan daturum esse verebimur, etsi non pauca restent investiganda; nequis aetate et tyrocinio par inveniatur qui aut nova dicere, aut ordine novo audeat elucubrare. Ex quo mihi mox opus video disputandi rationem tali vertere pacto, ut et semina scientiae vestrae in agro sterili non jacta dignosceretis, et ne pro vestra indulgentia mihi usque secunda quam totis viribus modo expeto etiam atque etiam, tyronem adhuc elevatique ingenii inopem, perterreat indignatio.

Cum itaque *scire nostrum* et quidem in Arte nostra *sit reminisci*, cumque aliter *miserrimi ingenii sit uti semper inventis et non inveniendis*, de observatione quadam in schola medica clinica superiori habita verba facere, et quasdam illationes ex ipsa ferre in mentem habui; quod interim facultatis nostrae Moderatori acceptius scio, quodque inde bonum felix faustumque sit!

Curandam ideo elapsa hyeme acutam Bronchitidem nobis obtulit patavina mulier Anna Zampieri, quam natura donaverat sanguineo temperamento firmoque corporis habitu.

Septem supra quinquaginta annos nata, a sanis longaevaque vita functis parentibus ortum duxit in circulo S. Crucis Patavii, vitamque ibi satis parvi contentam solertiaque industri suffultam puella virgo et materfamilias peregit. Morbillis rite ingruentibus atque devictis, nec non variolarum insitione concepta felicique omine superata, annos infantiae cucurrit, ex qua secunda admodum valetudine tertiodecimum aetatis tetigit annum, ubi vitae suae futurae norma comparuit, catameniorum flos. Rithmico hoc sanitati pare cum luna adparente, indeque, et propter ingenitum animi fervorem compos jam facta suae erga virum observantiae, virum uxor cognovit vigesimum annum agens. Octies propterea labores partus duorum aut trium annorum intereunte spatio perpessa est absque ulla comite aut re adversa sequenti.

Jamque sex aberant a saeculi dimidio aetatis suae anni, cum senex fieri quamquam invite sensit ex verecundi decoris muliebris defectu, quo numquam expers evasit. Tribus abinde annis retulit sese hoc in hospitio nosocomiali, dolorem pleuriticum per ve-

paesectionem et vescicatorium emplastrum aliaque superavisse, antea vero doloribus rheumaticis absque methodo curationis laborasse, tandem duobus abinde mensibus levi pectoris adfectione correptam fuisse, ex qua tussim modo siccam, modo belle sputiparam continue sustulisse.

Levis haec pulmonum adfectio, quam nisi mitem bronchitidem cum Neothericis adpellari recte nescirem, quinto idus Januarii gaudente foemina, plane extra artem, incommoda comitantia sistitit, ut subdole moliendo, postridie idus gravioribus symptomatibus locum praeberet. Tussi enim absque sputis et magis molesta prodeunte, dolor in humeris comparuit cum profundius inspirandi difficultate. Sequenti die febris in scenam prodiit, quae cum dolore tussi dyspnoea ac impedito supino decubitu, submeridianis horis ingravescens, in alteram diem remittendo noctu continuavit. Hac die nostrae Artis auxilium petiit et obtinuit.

Quem morbum cum febre comite, juxta Prospectum nosologicum disciplinae nostrae elapsi anni curriculo designatum, ex indole et causa, ex conditione pathologica et forma morbosa et ex abnormis energiae gradu rheuma pectoris catharrhale acutum volumus nuncupari, quod uno verbo Neothericorum sententia cum acuta bronchitide unum idemque erit.

At nulla de hisce quaestio: neque porro mirari quidem licebit de genere morbi, cum aetas mulierculae, causa occasionalis, individualis praedispositio, conditio aëris et tempestatis quae totum agrum densissima die noctuque refert caligine, sat manifestam praebeant rationem. Immo et tam clare processus morbosi vi responderunt symptomata, ut de diagnosi instituta deque prognosi satis fausta prolata, ne vix

quidem dubitationi locus daretur. Spei namque res cessit.

Austerissimae enim diaetae et binae venaesectionis efficaciae usu conjuncto kermetis mineralis praecipue et decocti graminis cum melle et nitro per diem et etiam infusionis florum sambuci et verbasci, noctuque larga dosi tenuis limonatae cum nitro, nec non, semel salis amari et semel magnesiae causticae administratione; octo dierum spatio febris continuaremittens fugata est, totidemque curriculo plane valetudo est restituta. Plane inquam, ita ut multo magis quam prius, aegra sanata sese habere bene fatetur, veluti si numquam aegrotavisset.

Ex hujus porro sanationis prompte ac feliciter consecutae historia cum anamnesi collata morborum queis antea subjectum nostrum levioris quidem momenti vexatum fuit; considerandum nobis occurrit, affectionem illam bimestrem pectoris ex qua catharrhosa tussis originem petebat, quamque praesens bronchitis exceperat, supravenientis ipsius et rite devictae bronchitidis gratia fuisse radicitus profligatam.

Perfecta enim in quam haec exiit resolutio, hanc non minus quam praecedentem leviorem conditionem pathologicam amplexa fuisse videtur. Quae quidem conditio in eo processus vitalis exordinato gradu constare tantum debebat, qui neque plus quam symptoma tussis molestum gignere potis esset, neque per vires naturae sublatis Artis subsidiis vinci potuisset. Felicem revera exitum temporis decursu levitati pare, tetigisset adfectio, dum ad normam substantiae organicae reparatio prope vehi potuisset, quod mechanicus organi motus et continua functio non solum, sed et ipsius externi aëris necessarius contactus cum laesa parte valent avertere.

Praeterito autem spatio temporis utilis, uti ajunt, quod et in levioribus sicut in gravioribus adfectionibus animadvertendum videtur, terminis nempe inter quos cujuscumque generis remedii, aut negativi, aut diaetaetici, aut pharmaceutici auxilium prodest; visus est ipse morbus etiamsi levis, lenti aut chronici more persistere, quemadmodum ferociores in exitus fatales desinere quotidiana evincitur experientia. Siquidem vere cum excedentis etsi leviter stimuli habenda sit affectio illa, cumque in hujusmodi pathologico processu substantiae novae productio locum habeat propter ipsarum vitae virium actionem justo majorem, partis organi quam morbus affecerat, mixtio pervertitur, ita ut novis fibrillis interna simul ac externa agentia imparia sint etsi veteribus indifferentia, itàque partiale excitamentum exsurgat quod tum illarum tum harum organicam superet resistentiam.

Quamobrem natura partis organicae alienata in abnormi reproductione, alterna pariter absorptio et excretio materiam morbosam nequit educere, ac vitae stimulum excedentem aequali jactura compescere: ex quo fit ut apparatus vasorum partis aeque ac nervosum systema vitioso ritu induantur, ille peculiari modo ac veluti per se et extra relationes generales partem in qua primitivus absolutus fuit processus, alendi, istud sentiendi ac partis nutritioni praeesse.

Et cum talis processus semel instauratus et numquam sublatus, ad illum gradum per se ferre non valeat vires vitae organico animalis, in quo ad sui destructionem tendant per exitus proprios ulcerationis, suppurationis aliosque, sed in illo tantum perstet potius in quo augmentum substantiae habetur, non potest quin sicut ab illis effertur ichor sive pus,

aliquem et ipse pariat effectum, qui semper naturae partis adfectae debet respondere. Secretio igitur mucosa in casu nostro quantitatis normam in majus abludens nec non indolis alienatae, habitualiter ut ita dicam suimet generandae rationem expetit a proprio textu, atque opportunitatem a gradu processus qui cum tempus adesset utile, commodum non fuerat debellatus.

Cujus humoris secreti copia in illa bronchiorum provincia residens apud quam secretio fiebat, irritationis sistitit causam, de qua per nervi vagi propagines monito centro maximo, per cervicales aliosque qui ponne vagum a centri maximi continuatione procedunt nervos, expirationis musculi in actionem trahebantur ad illam heterogeneam substantiam sensim sensimque expellendam. Ipsa porro irritatio et ipsa expulsio, aberrantis functionis textus potiusquam externorum ab hac agentium, rationem sequi cogebatur.

Ex quibus omnibus mihi lubet evinci cur tussis illa catharrhalis habitualiter fere, tot dierum spatio perstitisset, dum paucis hauddubie potuisset fugari: quin negem interea ipsius causam proximam, succedentis morbi praedispositionem aptissime exhibere potuisse.

Et re quidem vera si dispositio ad morbos ex singulari animalis oeconomiae aut organicae pronitate, intra limites tamen sanitatis contineatur, quis individuum de quo sermo fuit, non modo dispositum, verum etiam pergrandi opportunitate confectum non dicet ad morbi illius evolutionem, cujus genesis, sedes et forma nonnisi latitudine et specie ab existenti processu differre videntur? Quis enim rem aliter se habituram praedixerit, cum mulierculam illam ab aliis potentiis nocuis non immunem scivisset? Quod ultro nemo poterit inficiari.

Verum sane est quod morbus ille quem chronicum habitualem retulimus, ulterius existere potuisset, cum motibus illius abnormibus assuefacta jam esset fibra animalis: atqui tum organi in commercio semper cum rebus externis functionem, tum naturam aut proprietates potentiae externae quae sustinet commerçium istud, arguendas jure censemus de mutatione in ipsa tussi et in ipso catharrho modo determinata. In annos utique produci solent catharrhus et tussis in aetate senili, quoniam semel devicta infensa potestate tempestatis adversae, illos item habitudo gubernat, quamquam in ejus adventu ac saevitie solito molestiores fieri constanter non desint.

Nequiverat aegra vetula nostra hocce consequi bonum, cum novus plane evasisset hyberni aëris stimulus illi organi respiratorii provinciae, quae etsi morbo ejusmodi tamen non adflictabatur gradu, quocum functionis residua pugnarent. Sicuti vero novus non fiebat stimulus ille propter naturam, quum quidem aëre conflaretur per se organo connaturali, sed propter ejus vim potius sano etiam pulmoni inimicam, eo quod aër esset calorico destitutus, oxygeni quantitate superabundans, humidisque onustus vaporibus; non modo viarum aërearum adfectae regioni, sed huic quoque continuae etiam aliunde sanae, quin nocumentum ferret, non potuit.

In hac itaque pariter ac in illa, alicujus momenti mutatio erat persolvenda, illoque charactere notata quem occasionalis causae novissimae insignire erat. Quem characterem non alium quam excedentis stimuli, uti ajunt, sive phlogisticum esse debuisse facile evincitur, neque ab illo differre quem gradu quidem minori praeexistens processus praeseferebat; id quod reapse illam efficit mutationem. Rationi e-

nim conveniens videri debet, illum ideo morbosum processum ob tantae procatharticae causae influxum eas leges quibus moderabatur ac sustinebatur, ablusisse, utpotequi a viribus vitalibus alebatur utcumque exordinatis, aptis tamen proculdubio fortiorem solito stimulum persentiendi, eoque magis aptis propriae facultati agendi actionique ipsi inferendi augumentum.

En igitur quomodo et quare conditio pathologica proprie dicta condi ceperat, quae ab antiqua fomitem atque alimentum recipiens propria dilatare confinia tendebat, sumptibus partis non solum a qua originem repetebat ac sedem, sed organi simul ejusque functionis atque universalis excitamenti, cui pars ipsa ipsum organon subest ac ipsa functio.

Ac primum exaltatis sic uti numquam hactenus, vitalibus partis jamdiu adfectae functionibus, per has in ipsa mixtione organica ejusdem partis, notabili mutationi locus dabatur. Immo in elaborando processu acutae phlogoseos, elementa cuncta mixtionis erant renovanda, unde phlogosis ipsa gigneretur et staret, ita scilicet ut moleculae jamdiu elaboratae ac sub exordinato illo influxu organico-animales factae, impedimento, ut ita dicam, esse non deberent eminenti recenscreatarum receptivitati, in quo mihi jure videor suaderi chronicitatem, torporem, morbosamque habitualitatem praegressae levis adfectionis phlogisticae constitisse. Novae igitur substantiae generatio, efformatio, ac antiquae destructio, eliminatio subsequi nostro debuerunt in casu, quorum alterum finem cum absorbens lymphaticorum systema spectaret, alter ab exaltato sanguifero systemate absolvebatur.

Perceptionis insuper impressionum mutationem sequi tantam mixtionis organicae oportebat revolutionem, quae illius procatharticae causae effectus meri-

to habenda est. Aut enim ex eo quod in illa novae substantiae efformatione, novae nervorum gignerentur propagines, aut ex eo quod sub antiquae substantiae eliminatione veteres detegerentur papillae, sensilitas nova secuta est longe minus stimulos patiens. quam quae usque adhuc per molestam muci secreti et collecti praesentiam solummodo excitabatur. Alacris hinc perceptio impressionum fiebat, quae ad centra nervorum cum successivo augmento latae, respondentem in situm motum referre debebant, cujus motus effectus et humorum illuc affluxum ciere erat atque actionum energiam determinare: humores atque actiones quae praecipua verae phlogoseos elementa pabulumque constituunt.

Verum cum tales haberentur in una organi regione et quidem morbo adfecta operationes, proximae etiam propter continuitatem contiguitatemve cum illa compati debuere, quae ad illos effectus favendos non modo, sed quamquam sanae aut saltem dispositae, inchoato processui ad vires pro sua parte suppeditandas valuerunt. Ita sane ut propagatus ideo ac intimius fortiusque adfectus textum organicum ejusque vitam processus, similem quin traheret sub conditionem universum excitamentum, vel in proprium totiusque organismi excidium vel in sui tantummodo levamen non potuisset.

Quae omnia rite mihi videor inferre posse ex status aegrae nostrae intuitu, medii inter chronicae adfectionis terminum ac inter succedentis acutae invasionem. Sex enim dierum intereunte spatio antequam Anna de febre conquereretur, tussis gaudente foemina evanescebat et nullas de more molestias catharrhus offerebat. Hoc mehercule signum extitit, consuetam ac habitualem secretionem morbosam a viribus

vitalibus supprimi, ob recentem causam coactis intimius processum deferre et acuere, qui foret in posterum novam sed magis propriam secretionem, praesentis fontes exsiccans, elaboraturus.

Interea sanguinis major fluxus ad partem in causa erat, ut aegra molestiam illam muci collecti quae tussim prius ciebat, sensim sensimque conversam tum persentiret in ponderis sensum quemdam insolitum una cum dolore magis ac magis crescente, atque in anxietatem quae gradatim desiit in dyspenoeam: dolorem inquam gravativum atque dyspnoeam, quibus brevi supinus decubitus interdictus fuit, quoniam posthica magis sublimisque erat organi regio, in qua novas morbus fixit radices aut praecedentis auctas dilatavit.

Tunc factum est quod excedenti stimulo adfecta nobiliori visceris parte idest parenchymate, visceris inquam necessariis organicis systematibus et praesertim vasculari sanguifero tam luculenter referto; ignis veluti urentis radii ad centra systematum ipsorum coruscavere, et ab his centris ad remotiores usque regiones delati sunt, eo majori alacritate ac energia, quo majori ad hanc hypersthenicorum morborum classem praedispositione individuum aliunde sanum donaverat praegressa illa superficialis adfectio, quoque major a procathartica causa, quae partis non modo sed universi etiam organismi conditiones proprio influxui sat bene adaptatas invenit, vis infensa repetenda est. Caetera hinc symptomata quae nostris observationibus aegra praebuit adnotanda, cephalaea scilicet, levis hebetudo, sitis, faucium ardor, linguae rubor ac sordes, anorexia, ariditas, et calor cutis adauctus, pulsus frequens, plenus, vibratus, uno verbo febris symptomata, a generalis excitamenti statu, tam-

quam effectu conditionum in parte similium, omnimode sunt repetenda.

Verumtamen in explicandi tentamine quommodo ex partiali morbo generalis exsurrexisset, qui et quare chronicum lentum habitualem in acutum fuisse conversum, cur quoad sedem, indolem atque formam, nonnisi gradu utrique a se invicem differentes haberi debeant, ideoque quanam ratione alterius ab altero origo inquirenda sit; quantum sufficit, absque dubio, rem omnibus non solum sed parvis etiam numeris absolutam non offero. Ast haec non fuit mens neque inceptum.

Lubentius sane in inquisitione versarer, cur per convenientem medendi methodum victo morbo acuto inflammatorio chronicum subsequuto, ne ullum quidem istius vestigium reliquum superfuerit; nisi, quod hujuscemodi opus valde vires ingenii praestet habeam in comperto. Atqui cum indicta alea lusus nequeat revocari, fateri non dedecet, princeps mihi aptandum esse, pro experimento saltem, callidissimi illius adagii consilium: *aut viribus addam, aut animum adimam.*

Quamobrem ad illam propositam investigationem ducendam, praeprimis facere id videtur quod paulo superius, etsi ruditer, expositum est de modo, quo eadem chronica habitualis adfectio, quamquam levis tamen semper stimuli excedentis in gradum transiit acutae ac verae inflammationis.

Mutationis enim analysi a causa novissima occasionali primitivo processui illatae ante oculos posita, ab alterius processus effectuum synthesi erui cognitio potest earum causarum, quae ultimum perfectae sanationis effectum pepererunt. At intimae hae causae et hi vitales ac materiales visum aufugientes ef-

fectus, omnem item intellectus aciem aufugiunt Pathologi, qui idcirco in eo dumtaxat quod patefit, proprias definire indagines cogitur et illationes.

Equidem novit ille processum organico-animalem morbosum, quem dicunt inflammationem, natura sua pronum esse ad novas efformationes, dummodo subtus organicae resistentiae limites vigeat, alias vero organicum ipsum deformandi, solvendi ac destruendi esse potem. Exitus hi solummodo sunt manifesta producta ac novissima internarum causarum queis ortum debent, et vel per sanationem, vel per fatalem exitum, interitum organismi, observantibus patefiunt. Hos praecipuos inter, medios exitus derivare quidem student Pathologi nunc ex individuali praedispositione, nunc ex causae excitantis natura, modo ex torpore aut violentia ejusdem processus, modo ex annualis constitutionis influxu, ex genericis modo et modo ex peculiaribus circumstantiis: et jure quidem ac merito, cum ptysim ex. gr. neglectae tracheitidi tribuant, climati abdominales infarctus, inobservatae arteritidi lythiases nonnullas aut evrismata, nonnullas hydropes annuae constitutionis imperio, etc; nihilotamensecius usque et usque illos latebunt viae, per quas idem ille processus phlogisticus in eodem individuo ex causa eadem iisdem pene sub circumstantiis, in alterum potius ac in alterum ex illis exitibus desinat.

Nec istae viae sane inquirendae erunt tam longe a loco ubi effectus illi enascuntur, neque tam extra limites temporis quo laudatus processus sua stadia persolvit. Erunt hae reapse moleculae organicae, quas juxta proprium existendi et agendi modum opus contrectat phlogisticum: erunt illa reapse momenta mensuram aufugientia, quibus urgent se mutuo ac sibi succedunt invicem actiones inter moleculas ipsas ac

ac novam vim qua ad actiones determinantur; quae utraque novis et iterum iterumque novis productis characterem sive aptitudinem elargientur, ob quam ipsa producta notis hisce quam illis magis insignita complexive tandem videntur desinere.

Porro ut optimus in hisce tractandis morbis exitus habeatur, praeterire non possumus quanti faciendum sit, quod in intimo illo elaborando processus phlogistici opere, necessario ars confert in auxilium naturae. Namque hoc invadente atque perseverante cum ipsa natura propriam penitus everterit normae semel amissae observantiam, ejus vires ultra propriae conservationis confinia evectae, nisi commodum apteque imminuantur atque infirmentur, naturae ipsius discrimen festinant, in quod minantur et ruunt aut suam alienando existentiam aut destruendo. Et re quidem vera nisi inter methodos curationis morborum hujusce generis, sive inter subsidia quae naturae in excessum aegrae Medicus praestat, illa etiam methodus recenseatur quam negativam appellant, non tam nihili facere cogeremur haud raro ipsius naturae quondam nimium blanditas vires medicatrices.

Propterea cum inter exitus processus illius morbosi animalis quo pleraque mala humanum genus torquentia notantur, pro exitu felicissimo intelligi debeat perfecta vitalis vis pariter ac substantiae organicae restitutio ad illum gradum et in statum illum, in quibus, uti opus est valeant propriae, sicut antequam ab illo male gubernarentur, conservationi consulere; putandum est ipsam vitalitatem ab excessu quo saeviente phlogosi gaudebat, debitos gradus descendisse ut accederet et tandem exitum tangeret, dum pariter substantiae organicae in illius processus decursu, continua subeunda fuit ac successiva effor-

matio, quae talem postea relinqueret qualem nocens obruerat potentia.

Etiam in casu nostro restitutio perfecta habita est penitus, curationis ope simplicis atque idoneae quam supra legentibus innotescere curavi. Atque hoc ita verum est ut, postquam symptomata acutae bronchitidis gradatim et normaliter decrescentia, sub finem reconvalescentiae plane evanuerint, nulla vel et minima turba superstite Anna nostra afficeretur. Vitalitas tamen atque substantia organica minime ad illum gradum redivere et in illum statum, quo antequam procatharticae causae pateretur influxum singula fruebatur, nam gradus statusque in eo erant ut morbosum processum chronicae adfectionis tutarentur, quae mox amplius non extat.

Conjicere igitur opus est uni eidemque felicissimo illi exitui, istum quoque fuisse subditum praeexistentem processum, hoc est, organicam novitus efformatam omnino fuisse provinciae organi adfectae mixtionem, destructam nempe et eliminatam substantiam jamdiu elaboratam ac sub exordinato influxu organico-animalem factam, victamque ab actionum congerie succedenti e novo stimulo productarum, illius quae provinciae sensilitati praeest ac nutritioni vitalitatis diutius accitam habitualitatem, aut recentis nervosarum propaginum efformationis gratia aut veterum detectionis sub vehementia processus phlogistici subsequuta, aut propter subtractionem stimulorum vel contrastimulorum additionem, quibus armis illum primum processum profligari numquam tentatum est. In eumdem insuper felicissimum exitum, chronicum tam quam acutum morbum desinere opus fuisse, *a priori* quoque contendi potest si animadvertatur, cum una eademque pathologica

esset conditio, una eademque indoles morbi, nisi eadem tamen similis causa occasionalis ad genus rheumaticarum pertinens, altera immo ab altera nisi gradu et tempore differret adfectio; evidens esse in eodem individuo iisdemque constanter in circumstantiis exitum utrique eumdem fuisse probabiliter expectandum.

Quam interim consequentiam ab eloquenti facto probatam eo libentius fero et amplector, quo majori fide dignis confirmatam sum nactus exemplis, quae Artis Magistri referre non dedignantur. Praestat illud, teste optimo praeceptore meo ac perillustri Pr. Federigo, simplicis gonorrhoeae, quae utili elapso tempore curationis felicis, et in conditionibus illis adversis implicita quae (Artis nostrae flagellum et dedecus) chronicum morbum constituunt, quatuor annorum spatio pertinax viguit. Tum vir incautus indulsit equitationi, cujus cito poenituit ex eo quod violenter exasperatam sibi sensit pristinam adfectionem, quae tamen acuta reddita acutique morbi cursum absolvens sub oculis medici aptoque tractamine, exitum ultra spem tetigit plane et plane secundum. Non aliud ab hoc exemplum habitualis epilepsiae, quae typho cessit supraveniente et rite devicto, nec amplius passum individuum adgressa est, a juniore Frank recensetur. Alia et alia hujuscemodi apud eos qui praxim in rebus medicis accuratam exponere satagunt, haud raro reperire est.

Jamque obviam occurrit occasio ut ex omnibus supra relatis non minus quam ex paucis quidem sed indubiis exemplis mox enunciatis, aliquam illationem conjiciam quam ab initio conjicere statui. Praemisso interim, uti opus est et decet, quod si ut generica lex fundetur plures et plurimae observationes

ac pluries repetitae juxta logices sanae regulas absolute requiruntur, non adeo tamen videatur extra rationem ex paucis quidem sed perbene consideratis dubium aliquod aut aliquam institui posse quaestionem, praesertim in arte salutari et in scientia; liceat modo practicam quae huc spectet, moveri quaestionem, aut illam si ab aliis quondam proposita fuerit, huc revocari. Quasdam chronicas adfectiones sive diaetae regimine sive Artis mediis, ut inde temporibus debitis perque Artis ipsius subsidia, perfecta et absoluta curetur sanatio, licebitne acutas reddere artificialiter?

Oh quam optabilis hujusce methodi in praxi medica probabilitas foret! ni statim econtra dubium occurreret ita potius pro felicissimo, pessimum illis exitum antevocandi. Non enim in omnibus quae cursu diuturno, miserae hominum vitae incrementum raro, saepissime decrementum angunt, incommodis, potestas eadem fortunata inesse excogitari potest, qua illum potius et optimum quam alium effectum novissimum edere tendant. Hoc quidem pendere potest ab indole eorum peculiari; sed maximum id est quod hac possibili facultate diversa in diverso individuo plane obscura gaudebunt, in organis quidem diversis, in textubus ac systematibus diversis organicis.

Quapropter etiamsi attentio nostra ad illas tantum hujusce generis adfectiones revocetur, quae ab excessu stimuli uti ea quae huic materiem praebuit sermoni, nominantur; fidemus nos primitus certiores fieri ac tuto putare, ex illis unam hauddubie jam limites prosiliisse temporis, quibus nullam amplius utilitatem ab indicata methodo therapeutica praestolaretur? Nobisne porro innotescent ac praesto erunt media ad illius acutiem determinandam apta, quae

pro indole peculiari ac vi itidem cum causa ex qua ejus pendet processus, agant? Talis demum supra-acquisita acuties quam effecisset Ars, anne ab ipsa Arte poterit coërceri, annon illum acminis antecelleret gradum, subtus quem mixtio organica juxta aequum atque secundum sui agendi ac existendi modum, ab ipso actionum jam turbatarum processu aucto et mutato, eo duceretur, ut novitus efformaretur omnino ac restitueretur perfecte, sicuti memorata exempla feliciter proferunt? Econtra, utique interdum ad illum gradum determinate evehere processum chronicum frustra tentabitur, cum habitudinis leges ad illos agendi atque existendi modos diutius fibrae inhaerentes, partem et organon et systema et vitam sibi subditas omnino destrui et prolabi prius paterentur, quam alii influxui vel maximo dedere se atque parere. Haec sane est ratio potissima, qua in curatione chronicorum morborum, etsi non imperturbabilis ejus vis maneat, medicus vel ipse experientissimus animos ponit: qua interdum cogitur de propriae institutae methodi dubitare aequitate: qua hujusmodi aegros linquit illa animi pronitas ac in omnibus sedula obtemperantia a quibus plerumque finis dependet: qua, istis etiam inventis ac perseverantibus, infelicis curantis ingenium per tot pharmacologiae provincias vagatum, tempus et horas amisisse fatetur: ratio demum potissima, quae ideo magnam boni nominis sibi partem furatur immerito.

Concludere ergo mihi fas expeto, acutiem in morbis chronicis arte patrare rite incautum habendum esse etiam si de lentis phlogisticis sermo sit, idque dumtaxat pro hisce tunc medenti licere debere, eo ut planioris potiorisque curationis ope melius quam in actu est consequatur, quum fortunato simili exem-

plo ductus, ex illius decursu, pathologica conditione, individualitate et caeteris, verossimiliter arbitrari possit simile ex simili eventurum fore.

Denique quoniam in hujus qualiscumque sermonis contextu saepe accidit ut habitualitatis idea sumeretur ad demonstrandum, quommodo et morbos saepissime hujusmodi lex corripit et moderatur, nisi commodum et efficax aut per se aut per ipsam naturam Ars ad eam vincendam occurrat; cumque insuper ab illo usque momento quo de hujusce generis morbo in optimum exitum absoluto disserere quidquam proposui, excogitarem utrum et in physiologico statu sicuti in pathologico expertus sum, subigi possent hominum habitudines quaedam, quas aut leviter ejus laedere sanitatem, aut vere morborum sistere causas jam plane patet; hic adesse locum rei aptum reri ausus fuerim, nisi me tenus hac satius et ultra fuisse vos scirem dignatos, et ni tyronis humeris impar opus futurum vererer. Mente tamen manet repostum: ita ut quum tempus et praxis me potius edocuerint, eo melius evinci gavisurus sim, de quo satis modo sum suasus: habitudines nempe vinci posse a volenti. Dato enim ultroque concesso quod absque damno evidenti subigi nequeant immediate et ut ita dicam ex abrupto, quoniam et habitudinis lex quasi necessitatis lex est habenda; mihi tamen videtur facile probatu, quod per attentionem sedulam qua admonemur, per deliberatam voluntatem qua ducimur, et per sensim auctam exercitationem, nostrum in potestate sit legis illius vim subvertere absque damno quocum viguerat majori, immo etiam cum emolumento. Opus hinc erit illos ex hisce actus et modos sentiendi, in quos voluntatis imperium conferre potest ut corrigantur, ab illis definire ac sejungere qui

a causa reapse physica procedentes cum individuali congenito aut accidentali vitae modo necessarie coëxistunt, ideoque voluntatis influxum aufugiunt omnino: ex quo classis habitudinum vincibilium ab invincibilibus distincta innotescat. Ita ut prioribus recensendo ex. gr. habitudines proprie dictas, consuetudines, idiosyncrasias, et quoad animum sympathias, antipathias atque pathemata, aperte videat quis ipsis subditam vitam degens, quod ipsis exui dummodo velit, reapse possit. Quo lubet illam, quantum spectat, Lyrici vitiorum demptoris admiratam magis quam praxi subjectam, revocare sententiam: *nil mortalibus arduum est.* Oh utinam tali pacto meis Institutoribus in scientiis naturae ac in Arte quam nunc datur mihi profiteri facultas, debitas potuissem referre gratias! Quod si verbis nequiverim assequi, sufficiat, quaeso, quam modo exhibeo voluntas, et esto cum ista in caeterorum veniam, id quo ab unius nutu imbutus sum, quod scilicet: *Se le simpatie le antipatie le abitudini e le passioni regolano in molti individui le operazioni per cui giudicano e si determinano, dipende dal non prestare la dovuta attenzione, e questo si regola prestandovela come conviene* (*).

(*) Gallini. Discors. Inaugur. del 1831-32.

THESES

IN SENATU ACADEMICO PUBLICE DEFENDENDAE

I.

Morbus lentus phlogisticus ab acuto essentialiter non differt.

II.

Causae morbificae pene omnes sunt excitantes.

III.

Vires naturae medicatrices oppugnari possunt.

IV.

Medicina negativa *confert aliquando sicuti* activa, *seu stricto sensu negativa ab activa non differt.*

V.

Uterus in contractione non agit sub partu: in graviditate agit dum se expandit et turget.

VI.

Non datur Mania absque delirio seu intellectus perturbatione.